



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 117. Vtrum in creaturis detur potentia obediens actiua, per quam quodlibet possit diuinitus eleuari ad producendum quodlibet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

QVÆSTIO CXVII.

Virum in creaturis detur potentia obedientialis actiua, per quam quodlibet possit diuinitus eleuari ad producendum quodlibet?

1. **V**idetur dari, primo, quia Deus cum sit omnipotens, potest facere omne id, quod non implicat; sed non implicat, ut Deus utatur quolibet ad producendum quodlibet, ex. gr. quod utatur lapide ut instrumento ad producendum Angelum, & utatur aqua ad producendam physicè gratiam in anima; ergo &c.

2. Secundo debemus diuinam omnipotentiam amplificare, non autem restringere; sed dicendo, quod Deus possit uti quolibet ad producendum quodlibet, amplificamus diuinam omnipotentiam; ergo &c.

3. Tertiò ad potentiam, & sapientiam artificis spectat, ut possit producere effectus etiam præstantissimos per instrumenta valde imperfecta, eo pacto, quo egregius pictor potest facere pulcherrimam picturam etiam per penicillum valde imperfectum; sed Deus est artifex infinitè potens, ac sapiens; ergo per quamlibet etiam imperfectissimam creaturam potest producere quemlibet effectum, ac proinde per lapidem potest producere Angelum, &c.

4. Quartò ut causa partialiter concurrat ad effectum, non requiritur, ut contineat omnes, sed sufficit, ut contineat aliquam perfectionem illius; ex. gr. licet intellectus non contineat supernaturalitatem visionis beatificæ, tamen quia continet eius vitalitatem, potest cum lumine gloriæ producere visionem beatificam, lumine supplente id, quod deest intellectui; sed quodlibet ens continet multas perfectiones cuiuslibet alterius entis, ex. gr. lapis continet plures perfectiones Angeli, puta perfectiones genericas entis, substantiæ &c. ergo quodlibet ens simul cum Deo potest producere quodlibet aliud ens, puta lapis simul cum Deo potest producere Angelum, ita ut lapis det Angelo perfectiones genericas, in quibus lapis conuenit cum Angelo, supplente Deo, & dante alias perfectiones, quas lapis non habet, ideoque dare non potest.

5. Quinto non est ratio, cur causa possit obedientialiter à Deo eleuari ad producendum aliquem effectum excedentem naturalem virtutem talis causæ, & non possit eleuari ad producendos quoslibet alios effectus, licet excedant naturalem virtutem illius; sed intellectus potest obedientialiter eleuari ad producendam visionem beatificam, quæ cum sit supernaturalis, excedit naturalem virtutem intellectus; ergo potest eleuari ad producendos quoslibet effectus, licet excedant naturalem

virtutem intellectus; sed si vna ex causis naturalibus potest obedientialiter eleuari ad producendum quodlibet, omnes possunt eleuari, cum sit eadem ratio; ergo &c.

6. Sextò semina, quia sunt instrumenta naturalia plantarum, & animalium, possunt producere plantas, & animalia, quæ sunt multò nobiliora ipsis feminibus: ergo creaturæ, quia sunt instrumenta, ac veluti semina diuinæ omnipotentiae, possunt à Deo eleuari ad producendos quoslibet effectus.

7. Septimò non solum Sancti Augustinus, & Thomas, sed etiam sacrae literæ indicant creaturas ita esse Deo subiectas, & subordinatas, ut Deus possit uti quolibet ad faciendum quodlibet; ergo.

8. Respondeo, quod quia cum Sancto Thoma art. 5. quæst. 45. debemus examinare, utrum creatura possit à Deo eleuari ad creandum, libet præmittere quæstionem vniuersalem, in qua quæritur, utrum quælibet creatura possit eleuari ad producendum quodlibet. In qua quidem quæstione continentur tres quæstiones affines. Prima est, utrum quodlibet subiectum, seu quælibet causa materialis possit diuinitus eleuari ad recipiendam quamlibet formam, & quemlibet effectum formalem. Secunda est, utrum quælibet forma, seu causa formalis possit diuinitus eleuari ad informandum quodlibet subiectum, & ad dandum quemlibet effectum formalem. Tertia est, utrum quælibet causa efficiens possit diuinitus eleuari ad producendum quemlibet effectum. Has tres quæstiones quia solui possunt per vnum principium proportionale, libet simul examinare, ut ex solutione primæ, & secundæ magis elucescat solutio tertiæ, quæ est propria huius loci. Ut autem incipiam à notionibus.

9. Dicendum primò cum omnibus Philosophis, & Theologis. Formæ non possunt diuinitus eleuari ad dandos quoslibet effectus formales, sed solos certos, & determinatos.

Probatur: nam rotunditas ex. gr. est ita determinata ad dandum subiecto effectum formalem rotundi, ut ne diuinitus quidem possit eleuari ad dandum effectum formalem quadrati, vel triangularis: multo minus potest dare effectum formalem videntis, audientis, intelligentis &c. Idem dic de cæteris formis. Ex. gr. intellectio creata ita est determinata ad dandum subiecto effectum formalem intelligentis, ut neque diuinitus possit eleuari ad dandum effectum formalem volentis &c. Ratio à priori est, quia sicut quælibet forma per se ipsam, & per suam essentiam ita est hæc, ut ne diuinitus quidem possit esse alia, ex. gr. rotunditas ita per se ipsam est rotunditas, ut ne diuinitus quidem possit esse quadratura, sic ita per se ipsam potest subiectum constituere rotundum, ut ne diuinitus quidem possit illud constituere quadratum &c.

10. Dicendum secundò: subiecta non possunt diuinitus eleuari ad recipiendos quoslibet

bet effectus formales, sed solos certos, & determinatos. Probatur: nam lapis ex. gr. non potest diuinitus eleuari ad videndum, audiendum, discurrendum, videndum Deum, illumque amandum: alioquin lapis diuinitus posset esse sapientior, quam Salomon, & Deum videndo, & amando, posset esse beator, quam Sanctus Petrus, quæ sunt absurda. Confirmatur: nam Deus posset eleuare omnes res ad hoc, vt discurrent, Deum viderent, & amarent &c. ac proinde posset eleuare lapides, plantas, bruta &c. ad hoc, vt essent sanctiores, & beatores, quam Angeli. Ratio à priori est, quia sicuti quilibet forma creata per suam essentiam est hæc, & non alia, ideoque potest tribuere hunc effectum formalem, & non alium, sic quodlibet subiectum, & quælibet potentia creata est hæc, & non alia, ideoque potest recipere hunc effectum formalem, & non alium; ex. gr. Angelus per suam essentiam est quidem potentia ad hoc, vt intelligat, velit, sit beatus, & sanctus &c. sed non est potentia ad hoc, vt sit albus, niger, calidus, frigidus &c. ideoque potest quidem recipere effectum formalem intelligentis, volentis &c. at non potest recipere effectus formales albi, nigri, calidi, frigidi &c. E conuerso lapis per suam essentiam est quidem in potentia ad hoc, vt sit albus, niger, calidus, frigidus &c. at non est in potentia ad hoc, vt sit intelligens, volens &c. Ergo potest quidem recipere effectus formales albi, nigri, calidi, frigidi &c. at non potest recipere effectus formales intelligentis, & volentis. Confirmatur: nam res definiuntur per hoc, quod sint in potentia ad certos effectus formales: ex. gr. homo definitur *animal rationale*, hoc est aptum ad sentiendum, & discurrendum; sed definitio vnius rei neque supernaturaliter potest conuenire alteri rei; ergo aliæ res, puta lapides, plantæ, & bruta, neque supernaturaliter possunt esse aptæ ad sentiendum, & discurrendum; sed si supernaturaliter possent recipere effectus formales sentiendi, & discurrendi, supernaturaliter essent aptæ ad sentiendum, & discurrendum, & sic definitio hominis posset supernaturaliter conuenire lapidibus, plantis, & brutis; ergo &c.

11. Dicendum tertio: subiecta, quæ sunt capacia alicuius effectus formalis, non possunt illum recipere à qualibet forma, sed solum à certa, & determinata: & formæ non possunt tribuere suos effectus formales primarios cuiuslibet subiecto, sed solum certis, & determinatis.

12. Probatur prima pars. Nam licet lapis possit constitui calidus, & sic recipere effectum formalem calidi, tamen non potest constitui formaliter calidus per quamlibet formam; nam per frigus non potest constitui formaliter calidus, sed solum per calorem: similiter potest quidem constitui rotundus, sed per rotunditatem, non per

quadraturam; idemque dic de reliquis.

13. Probatur secunda pars. Nam calor potest tribuere quidem effectum formalem calidi subiecto capaci, sed si fingamus, quod ponatur in subiecto incapaci, puta in Angelo, Angelus per calorem non constituetur calidus. Proportionaliter si intellectionem fingamus poni in lapide, non constituet lapidem intelligentem. Ratio à priori est, quia sicut ad effectum formalem non sufficit, vt subiectum sit capax illum recipere, sed requiritur, vt forma sit capax illum dare, ideoque subiectum potens recipere effectum formalem calidi, non potest illum recipere à forma frigoris, quæ non potest illum dare; sic non sufficit, vt forma possit effectum formalem dare, sed requiritur, vt subiectum sit capax illum recipere; sed sicut non omnes formæ possunt dare quoslibet effectus formales, sic non omnia subiecta possunt recipere quoslibet effectus formales, vt dictum est conclusionem prima, & secunda; ergo sicut subiecta non possunt ab omnibus formis recipere quemlibet effectum formalem, sic formæ non possunt dare suos effectus formales omnibus subiectis. Non tamen nego, quod si forma fingatur vniri subiecto incapaci recipere effectum formalem primum, daret illi aliquem effectum formalem secundarium; ex. gr. si intellectio poneretur in lapide, non daret lapidi effectum formalem intelligendi, qui est primarius, sed daret illi effectum formalem habentis in se intellectionem mortuo modo, hoc est absque eo, quod per ipsam intelligeret, qui est effectus secundarius intellectionis.

14. Dicendum quarto: subiecta non possunt diuinitus eleuari ad recipiendas quaslibet formas, sed solum certas, & determinatas; & formæ non possunt diuinitus eleuari ad hoc, vt recipiantur in quolibet subiecto, sed solum in certis, & determinatis subiectis.

Probatur prima pars. Ex dictis enim conclusionem secunda subiecta non possunt eleuari ad recipiendos quoslibet effectus formales, sed solum certos, & determinatos; ergo non possunt eleuari ad recipiendas quaslibet formas, sed solum certas, & determinatas, cum eadem sit ratio. Ideo enim non possunt eleuari ad recipiendos quoslibet effectus formales, quia per suam essentiam sunt in potentia solum ad certos, & determinatos effectus formales; sed etiam debent esse in potentia solum ad formas certas, & determinatas; ergo &c.

Confirmatur, & explicatur. Nam sicut Angelus per suam essentiam est in potentia ad recipiendos effectus formales intellectionis, volitionis &c. non autem ad recipiendos effectus formales calidi, frigidi &c. sic est in potentia ad recipiendas formas intellectionis volitionis &c. non autem ad recipiendas formas caloris, frigoris &c. Rursus sicut lapis est in potentia ad recipiendos effectus formales albi, nigri &c. non autem ad recipiendos effectus

effectus formales intelligentis, volentis &c. sic est in potentia ad recipiendas formas caloris, frigoris &c. non autem formas intellectiois, volitionis &c.

15. Probatur iam secunda pars. Nam si- cur subiecta non sunt in potentia ad recipien- das quaslibet formas, sed solum certas, & de- terminatas, sic formæ non sunt in potentia ad hoc, vt recipiantur in quibuslibet subiectis, sed solum in certis, & determinatis; ex. gr. albedo est in potentia ad hoc, vt recipiatur in lapide, non in Angelo; intellectio est in po- tentia, vt recipiatur in Angelo, non in lapide.

16. Dicendum quinto cum Vasquez 1. p. disp. 176. cap. 4. quem sequuntur alij contra. Suar. to. 1. in 3. partem disput. 31. sect. 5. non datur in creaturis potentia obedientialis acti- ua, per quam quodlibet possit à Deo extrin- secus eleuari ad producendum quodlibet, sed solum datur potentia obedientialis actiua, per quam res possunt extrinsecus eleuari ad produ- cendos effectus certos, & determinatos.

17. Probatur primo. Ex dictis enim con- clusione secunda, & quarta, subiecta, seu po- tentiæ passiuæ non possunt diuinitus eleuari ad recipiendos quoslibet effectus formales, & quaslibet formas, sed solum certas, & deter- minatas: ergo causæ efficientes, seu poten- tiæ actiuæ non possunt diuinitus eleuari ex- trinsecè ad producendos quoslibet effectus, sed solum certos, & determinatos, cum sit eadem ratio. Ideo enim subiecta non possunt eleuari ad recipiendos quoslibet effectus for- males, sed solum certos, & determinatos, quia per suam essentiam sunt in potentia pas- siua ad recipiendos non quoslibet effectus for- males, sed solum certos, & determinatos; sed etiam causæ efficientes per suam essentiam sunt in potentia ad producendum solum effe- ctus certos, & determinatos; ergo &c. Neque dicas, quod causæ efficientes sunt quidem in potentia naturali ad producendos effectus so- lum certi, & determinati generis, sed sunt in potentia obedientiali ad producendum quod- libet. Nam sicut subiecta, seu potentiæ passiuæ ita sunt in potentia naturali ad recipien- dos effectus formales solum determinati gene- ris, vt non sint in potentia obedientiali ad re- cipiendos quoslibet effectus formales; sic cau- sæ efficientes, seu potentiæ actiuæ; eadem enim est ratio.

18. Probatur secundo conclusio ratione à priori, per quam omnes quinque conclusio- nes posite reducuntur ad vnum proportiona- le principium. Nam in creatis omnes poten- tiæ passiuæ, vel actiuæ definiuntur tanquam per suum adequatum specificatum intrin- secum, non per ens *ut sic*, neque per rationes conuertibiles cum ente, sed per aliquod ge- nus inferius ente; sed nulla potentia actiua, vel passiuæ potest etiam diuinitus extendi ad recipiendum, vel producendum id, quod non continetur in specificatio extrinseco ade- quato, in ordine ad quod definitur; ergo

nulla potentia actiua, vel passiuæ creata po- test diuinitus extendi ad recipiendum, vel pro- ducendum quodlibet, sed solum ad res deter- minati generis. Probatur maior: nam cum quæritur, quid sit potentia visiuæ, non dicitur, quod est potentia receptiua, vel produ- ctiva cuiuslibet, sed solum dicitur, quod est potentia receptiua, & productiva visionis, per quam constituatur formaliter videns, ac proin- de per visionem definitur tanquam per suum adequatum specificatum; idem dic de po- tentia auditiva, intellectiva, calefactiva &c. & per diuersa specificatiua definiuntur & inui- cem distinguuntur diuersæ potentiæ. Proba- tur iam minor: nam si potentia diuinitus re- ciperet, vel produceret id, quod non continetur in eius adequato specificatio, recipe- ret, vel produceret id, quod non posset reci- pere, vel producere, quod manifestè impli- cat. Ex. gr. si potentia definitur adequatè po- tentia recipiendi, & producendi genus aliquod, quod vocetur A. eo ipso, quod reciperet, vel produceret B., quod non continetur in A. re- ciperet, vel produceret aliquid, quod non posset recipere, vel producere; & si non so- lum potest recipere, vel producere A., sed etiam B. non debet definiri potentia recipiendi A., sed potentia recipiendi rationem communem A., & B., eo pacto, quod quia potentia auditiva non solum potest percipere sonum acutum, sed etiam grauem, non debet definiri poten- tia perceptiva acuti, sed potentia perceptiva soni *ut sic*, sub quo continetur acutus, & gra- uis, ideoque obiectum specificatum adequatum potentiæ auditivæ est sonus *ut sic*, non au- tem sonus acutus.

19. Opponi potest: intellectus definitur potentia perceptiva entis; seu veri: volun- tas definitur potentia appetitiua boni, ac pro- inde definiuntur per ens *ut sic*, & per verum, ac bonum, quæ conuertuntur cum ente; ergo falsum est, quod potentiæ creatæ non possint specificari ab ente *ut sic*, & à rationibus con- uertibilibus cum ente.

20. Respondeo, distinguo antecedens: intellectus, & voluntas in quantum sunt po- tentiæ intentionales, definiuntur per ens, ve- rum, & bonum, concedo; in quantum sunt potentiæ physicae, receptivæ, & productivæ, nego; & distinguo eodem pacto consequens. Intellectus in quantum est potentia cognosci- tiua, definitur potentia cognoscitiua entis, ideo- que specificatur per ens *ut sic*, tanquam per suum obiectum adequatum, & potest extendi ad cognoscenda omnia entia, etiam Deum. At intellectus in quantum est potentia phy- sica, receptiva, & productiva, non definitur per ens *ut sic*, sed per aliquod genus inferius entis; est enim potentia receptiva intellectio- nis, specierum, & habituum, & eorum, quæ spectant ad intelligendum; idem dic de volun- tate; ergo si intellectus, & voluntas, quæ sunt perfectissimæ potentiarum, licet in quan- tum sunt intentionales, specificentur ab ente

ut

ut sic, tamen in quantum sunt potentia physica, passiva, vel activa, non specificantur ab ente *ut sic*, sed à genere determinato inferiori entis; à fortiori alia potentia non specificantur ab ente *ut sic*, ac proinde argumentum retorquetur, & confirmatur inductio.

21. Inferitur primò potentiam obedientialem passivam recipiendi quemlibet effectum formalem, & quamlibet formam, & actiavam producendi quodlibet, non solum non dari in quolibet ente creato sed in nullo dari. Cum enim non detur in natura intellectiva, quæ est omnium perfectissima, in nulla natura datur.

22. Inferitur secundo in aliquibus entibus creatis dari potentiam obedientialem, tum passivam ad recipiendos, tum actiavam ad producendos effectus supernaturales certi generis. Patet nam Angeli, & Anima rationalis per potentiam obedientialem passivam recipiunt plures effectus supernaturales, hoc est gratiam sanctificantem, & habitus, actusque supernaturales luminis gloriæ, fidei, spei, charitatis, virtutum moralium insularum, visionis beatificæ &c. per potentiam etiam obedientialem actiavam concurrunt *vitaliter* ad actus supernaturales istorum habituum. Adde probabiliter intellectum, & voluntatem, posse à Deo extrinsecè eleuari ad hos actus supernaturales producendos, ut dixi supra, quæst. 28.

23. Inferitur tertio, ad quos effectus supernaturales detur, vel non detur potentia obedientialis tum activa, tum passiva. Dicendū, quod datur ad illos, qui continentur in ratione generica adæquatè specificatiua potentia, non datur ad illos, qui non continentur in tali ratione. Ex gr. quia substantia creata habet potentiam subsistentiæ, quæ specificatur per subsistentiam *ut sic*, subsistentia autem divina continetur in ratione communi subsistentiæ, substantia creata habet potentiam obedientialem passivam ad subsistendum per subsistentiam divinam. Accidens è conuerso, quia non habet potentiam subsistentiæ, sed inherendi, non habet potentiam obedientialem ad subsistendum per subsistentiam divinam. Intellectus, quia habet potentiam recipiendi species, habitus, & actus intelligendi, potest obedientialiter recipere species intelligibiles, & actus intelligendi supernaturales. Idem intellectus, quia habet potentiam productivam intellectionis, potest obedientialiter producere etiam actus supernaturales fidei, & visionis Dei, qui continentur in genere intellectionis. Hæc enim omnia continentur sub ratione, communi, à qua specificatur intellectus, in quantum est potentia receptiva, vel activa. Ad alia, quæ non continentur in specificatiuo, intellectus non habet potentiam obedientialem. Potentia auditiva, quia specificatur adæquatè ab auditione soni, non potest elicere, nec recipere visionem &c. Idem dic de alijs.

24. Quæri potest primò, vtrum non solum Angeli, & anima rationalis, intellectus, & voluntas, sed etiam alia entia, & alia potentia sensitiva, & materiales habeant potentiam obedientialem passivam, vel actiavam, per quam possint eleuari ad recipienda, vel producenda aliqua supernaturalia?

Respondeo, quod si in ratione communi, à qua specificantur adæquatè, continentur aliqua supernaturalia, habent ad illa potentiam obedientialem actiavam, vel passivam. Ex gr. si sunt aliqui soni supernaturales, & aliqua auditiones supernaturales, potentia auditiva habet potentiam obedientialem actiavam, & passivam, ad hoc, ut recipiat, & producat auditiones supernaturales sonorum supernaturalium. Et quia probabile est, quod in specificatiuis potentiis etiam materialium contineantur aliqua supernaturalia, probabile est, quod omnia entia habeant potentiam obedientialem ad aliqua supernaturalia producenda, vel recipienda. Confirmatur: nam de facto corpora gloriosa perficiuntur pluribus accidentibus, & qualitatibus supernaturalibus, & videntur exercere multas operationes supernaturales: ergo datur in illis potentia obedientialis, tum activa, tum passiva. Adde, quod quia difficile est penetrare, & definire essentias per sua adæquata specificatiua, difficile est explicare, ad quamnam habeant, vel non habeant potentiam obedientialem actiavam, vel passivam.

25. Quæri potest secundo, vtrum potentia obedientialis activa, vel passiva sit naturalis, vel supernaturalis?

Respondeo, quod est naturalis entitatiuè, cum sit ipsa natura, & ipsa res naturalis, sed est supernaturalis terminatiuè, cum sit ad hoc, ut res eleuetur à Deo ad aliquid supernaturale producendum, aut recipiendum. Ideo Augustinus libro de Prædestin. Sanctorum, cap. 5. dicit, *posse habere fidem, sicut posse habere charitatem natura est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratia est fidelium*: ergo per Augustinum potentia obedientialis habendi fidem, & charitatem, est ipsa natura hominum, ac proinde est naturalis entitatiuè: at fides ipsa, est gratia, & donum supernaturale, ac proinde potentia obedientialis habendi fidem, est potentia habendi donum supernaturale, ideoque est supernaturalis terminatiuè. Proportionaliter posse videre Deum, concurrente actiue, & vitaliter ad visionem Dei, natura est intellectus, visio Dei est donum supernaturale, ac proinde potentia obedientialis activa videndi Deum est naturalis entitatiuè, supernaturalis terminatiuè.

26. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem. Implicat, ut Deus utatur re ad producendum id, quod talis res producere non potest, sed vnaquæque res potest producere solum ea, quæ continentur in eius adæquato

Zz

Ipsæ

specificatio, ut explicatum est: ergo Deus nulla re potest uti ad producendum quodlibet, sed solum ad producenda ea, quæ continentur in adequato specificatio vniuscuiusque rei.

27. Ad 2. Diuina omnipotentia debet ita amplificari, ut dicatur Deum posse facere omnia, & sola, quæ non implicantur sed implicat, ut Deus utatur quolibet ad producendum, physicè quodlibet; eo enim ipso vteretur rebus etiam ad producendum ea, quæ nullo pacto tales res possunt producere, ut dictum est; ergo &c.

28. Ad 3. Ad potentiam & sapientiam artificis spectat quidem, ut ad producendum effectum perfectissimum possit uti etiam instrumentis valde imperfectis, dummodò habeant aliquam aptitudinem ad producendos tales effectus, non autem cum earent omni aptitudine; sed res nullam habent aptitudinem ad producenda ea, quæ non continentur in adequato specificatio potentiarum, quibus sunt prædita: ergo ad diuinam omnipotentiam, & sapientiam spectat solum, ut possint uti rebus ad producenda ea, quæ continentur in adequato specificatio potentiarum, non autem ea, quæ non continentur in specificatio, ut explicatum est.

29. Ad 4. distinguo maiorem; ut causa concurrat ad effectum, non requiritur, ut contineat omnes, sed sufficit, ut contineat aliquas perfectiones illius, si effectus contineatur in adequato specificatio talis causæ, concedo: si non contineatur, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Licet quodlibet ens contineat aliquas perfectiones cuiuslibet alterius entis, tamen quia nulla potentia actiua specificatur adequatè ab ente ut ente, sed ab aliquo genere inferiori entis, ideo non quodlibet ens continetur in adequato specificatio cuiuslibet entis, ac proinde non quodlibet potest producere quodlibet. Intellectus potest producere visionem beatificam supernaturalem, quia visio beatifica continetur in intellectione, quæ est adequatum specificatum potentia intellectiua.

30. Ad 5. nego maiorem. Ratio, cui causa possit eleuari ad producendum vnum effectum, & non alium, est, quia vnus effectus, & non alius continetur in eius adequato specificatio.

31. Ad 6. concedo antecedens, & nego consequentiam. Sicut enim semen potest quidem producere illos effectus, qui continentur in adequato specificatio virtutis seminalis, non autem alios, sic creatura possunt uti instrumenta diuinæ omnipotentia producere illos effectus, qui continentur in adequato specificatio virtutis earum, alios effectus producere non possunt.

32. Ad 7. ex autoritate, respondeo autoritates, quæ afferuntur, non fauere aduersariis.

Primo assertur Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram, cap. 17. Respondeo, quod S. Augustinus admittit quidem in rebus creatis vltra potentiam, naturalem, potentiam obedientialem, non tamen ad quodlibet, sed solum ad res determinati generis, ac proinde docet nostram sententiam. Potentiam naturalem ponit, dicens: *Elementa huius mundi corpori habent definitam vim, qualitatemque suam, quid vnumquodque valeat, vel non valeat, quid de quo fieri possit, vel non possit &c.* Unde fit, ut de grano tritici non nascatur faba, nec de faba tritium, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Potentiam obedientialem ponit, subdens; *supra hunc motum, cursumque rerum naturalem, potestas creatoris, habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id, quod in eis posuit, ut de his fieri, vel absque ipso possit.* Neque enim potentia temeraria, sed sapientie virtute omnipotens est; & de vnaquaque re in suo tempore facit, quod ante in ea facit, ut possit: et paulo post: *Neque enim ex eis vel ille faceret, quod ex eis fieri non posse ipse præfigeret, quoniam se ipso nec est ipse potentior;* ergo manifestè dicit, quod Deus de vnaquaque re non potest facere quodlibet, sed solum ea, quæ ipse dedit ut possint de ipsa fieri, & quod implicat, ut faciat aliud, alioquin faceret quod non dedisset, ut posset ex ea fieri, ac proinde docet nostram sententiam ex illa ipsa ratione, qua fuimus vsi ad illam probandam.

33. Secundò opponitur Scriptura. Sapientia 16. dicitur: *Creatura enim tibi factori deserviens exardescit in tormentum aduersus ministros, & tenior fit ad beneficiendum his, qui in te confidunt.* Respondeo, quod per hæc verba significatur tantum, quod creatura magis, & minus agunt, prout Deus vult: ex. gr. ignis fornacis babilonice vehementissime egit ad incendendos ministros Regis, qui tres pueros miserant in fornacem; tres autem pueros, qui missi fuerant in fornacem, non combussit, neque contristauit, Deo impediante actionem ignis. Per hoc autem ignis ille non fuit eleuatus ad producendum effectum, qui non contineretur in eius specificatio.

34. Tertio opponunt exempla ligni aridi, quod repente floruit, & fructus produxit Num. 17. asina Balaam, quæ locuta est Num. 7. Sara sterilis, quæ concepit in senectute Gen. 21. Sed hæc manifestè non sunt eleuata ad producendos effectus, qui non continerentur in eorum specificatio. Lignum enim aridum habebat potentiam passiuam ad hoc, ut diuina virtute reuiuisceret, & produceret flores, ac fructus. Asina Balaam habebat instrumenta oris, ac linguæ, quibus Deus, & fortasse etiam Angelus poterat uti ad voces articulandas. Sara sterilis poterat fecundari, & sic concipere, & parere. Beata etiam Virgo habebat potentiam concipiendi filium, quæ potentia fuit à Deo eleuata, ut conciperet modo supernaturali, hoc est sine opera viri, & salua virginitate: ergo in nullo ex his casibus potentia acti-

actiua, vel passiua eleuata sunt ad recipiendos, vel producendos effectus, qui non continerentur in earum adequatis specificatiuis. Idem dic ad alia similia exempla.

QVÆSTIO CXVIII.

Vtrum creare sit proprium solius Dei, ita vt nulla creatura possit eleuari ad creandum ne quidem instrumentaliter?

S. Th. qu. 45. ar. 5.

1. **V**idetur creare non esse ita proprium Dei, vt nulla creatura possit creare, etiam vt causa principalis. Primo enim ex Aristotele 2. de anima t. 34. perfectum est, quod potest producere sibi simile; sed substantiæ immateriales, nimirum Angeli sunt perfecti, ac multo perfectiores, quam animalia, plantæ, & homines; ergo quandoquidem plantæ, animalia, & homines possunt producere sibi simile in specie, vt causæ principales, à fortiori Angeli possunt producere sibi simile, hoc est alios Angelos: sed Angeli non possunt produci, nisi per creationem; ergo Angeli possunt creare alios Angelos sibi similes.

2. Secundò difficilior est ex vno contrario producere aliud contrarium, quam illud producere ex nihilo: nam magis resistit contrarium productioni alterius contrarij, quam resistat nihil; sed agentia naturalia possunt ex vno contrario producere aliud contrarium, puta calidum ex frigido; ergo possunt etiam aliquid producere ex nihilo.

3. Terrio eatenus creatura nõ possit creare, quatenus ad creandũ requireretur virtus infinita; sed ad creandum non requiritur virtus infinita; ergo. Probatur minori: nam ad producendum effectum finitum non requiritur virtus infinita; sed per creationem producitur effectus finitus; ergo.

4. Quarto nulla potest asserri sufficiens, & efficax ratio, propter quam creatura non possit aliquid creare, etiam vt causa principalis; ergo.

5. Quinto videtur saltem creatura posse à Deo eleuari ad creandum instrumentaliter. Nam Incarnatio per vnionem hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo, sanctificatio hominis per gratiam, transsubstantiatio eucharistica, sunt effectus perfectiores, quam creatio mulsæ: sed creaturæ materiales in sacramentis eleuantur ad instrumentaliter sanctificandum hominem per gratiam, & ad causandam physicè transsubstantiationem eucharisticam: potuisset etiam Deus vt aliqua creatura vt instrumento ad causandam vnionem hypostaticam; ergo.

6. Respondeo omnes catholicos fateri nullam à Deo productam fuisse creaturam, quæ possit natia virtute creare, solum ergo est

controuerfia, vtrum hæc creatura sit possibilis: & vtrum Deus possit eleuare aliquam creaturam ad creandum instrumentaliter?

7. Prima sententia Durandi in 2. dist. 1. quæst. 4. docet possibilem esse aliquam creaturam, quæ posset creare vt causa principalis. Fundamentum desumitur ex difficultate probandi impossibilitatem talis creaturæ.

8. Secunda sententia Magistri in 4. dist. 5. cap. ultimo, Sancti Thomæ in 4. dist. 5. qu. 1. art. 3. quæst. 3. ad 4. & in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. Suarez disp. 20. Metaphysicæ, sect. 3. & plurimum recentiorum docet repugnare creaturam, quæ creare possit vt causa principalis, sed non repugnare, vt Deus aliquam creaturam eleuet ad creandum instrumentaliter.

9. Tertia sententia docet non solum repugnare creaturam, quæ possit creare vt causa principalis, sed etiam nullam creaturam posse à Deo assumi vt instrumentum creationis, & eleuari ad creandum. Hanc sententiam, priori retractata, docuit Sanctus Thomas, tum hoc art. 5. quæst. 45. tum 2. contra Gentes cap. 21. Albertus in 2. dist. 1. art. 7. Scotus in 4. distinct. 5. quæst. 1. Ricch. in 4. distinct. 5. quæst. 1. art. 2. Henricus eadem distinct. qu. 2. Sanctum Thomam sequuntur Thomistæ, ac præsertim Caiet. in Comm. huius art. 5. qu. 45. & Ferrarient. 2. contra Gentes, cap. 21. atque ex nostris Vasquez 1. parte disp. 176. cap. 2. & seqq.

10. Dicendum: non solum repugnat creatura, quæ sua actiua virtute possit creare vt causa principalis, sed etiam repugnat aliquam creaturam à Deo eleuari ad creandum instrumentaliter.

Probatur primò ex Patribus. Athanasius serm. 3. contra Arrianos dicit: *Administrare creaturarum; & seruorum est: condere autem, & creare solius Dei, eiusque Verbi, & sapientie est.* Cyrillus lib. 2. contra Iulianum dicit. *Inaccessa natura sunt ea, quæ propria sunt solius, & omnium substantiæ, quorum vnum esse dicimus efficaciter operari posse vt creatorem, & producere res, quæ aliquandò non erant, subintellige quoad nullam partem sui, etiam quoad materiam.* Basil. lib. 4. contra Eunomium probat Filium esse verum Deum, quia creare potest; ergo supponit nullam creaturam posse creare. Afferuntur etiam August. lib. 5. de Trinitate, cap. 8. lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 15. lib. 12. de Ciuit. cap. 24. Prosper in sententijs, & Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 3. qui putat hæreticum asserere aliquid fuisse creatum ab Angelis. Hæc testimonia, saltem probant impossibilem esse creaturam, quæ possit creare natia virtute, & vt causa principalis.

11. Probatur secundò, explicando, & promouendo rationem Sancti Thomæ. Ex dictis enim quæst. superiori de potentia obedientiæ li nullas virtus, vel potentia potest eleuari ad id, quod non continetur in eius adequato specificatiuo; ex gr. quia adequatum specificatiuum potentie visivæ est videre, auditio au-